Crac. Stud. Univ. Jag.
Promotiones Philos. Ord.
1654 9 mens. Octobr.

58.

Chwieliszewski Martini: Epitharismon.

EPICITHARISMON

Publicè

Prensantibus XIV. Ingenuis

ADOLESCENTIBVS

IN

Almo Apollinei Iagellonis Emporio, Primam in Artibus honestissimis & Philosophia LAVREAM.

A

MARTINO CHWIELCZEWSKI eiusdem Laureæ Candidato, Pindareâ Barbito

CONCINNATVM.

Anno restauratæ salutis humanæ M. DC. LIV. Mense Octob. Die 9.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typogr.


HORREA bina vides, pe nnis se credere cœlo
Se PATRIÆ atque DEI tollit ad Astra Decus.

Admodum Reu. Dño.

D. AC PATRI LVDOVICO ZIELONACKI

Ordinis S. Benedicti, Regalis Conuentûs Tynecenſis

PRIORI DIGNISSIMO.

Domino & Mœcenati Ampliſſimo.

P*Atiâre vſitato more* Admodum Reuerende DOMINE, *benignum Tuum à me hâc rudi Pòëſi adiri conſpectum; iure enim potiore probè me facturum exiſtimaui, ſi ad hæc Tibi innatæ beneficentiæ prouida Horrea, primitias laborum, collectam in Artibus & Philoſophia primæ Laureæ meſſem dirigerem, quæ ad ſe venientibus nulli vnquam viſa ſunt dare repulſam. Cogitanti quippe mihi diu, quò tandem fauentem concomitantibus Muſis Apollinem è ſublimi Parnaſſi vertice deducerem euocatum, non modò probatiſſimæ liberalitatis Tuæ fertilis vterq; aceruus, aſt & ipſa euocandi Phæbi ratio in munificum Tuum conſpectum ſuaſit deducendum. Et rectè greſſu debito Tuum expoſcit mea Minerua patrocinium; vel quia Te eum omnino eſſe ſentit, cui laudabilis doctrinæ excellentibus ornamentis illuſtrata virtus, præclaram apud omnes conciliat exiſtimationem, & vberrimum fructificat amorem; vel etiam quoniam Te in eo glorioſo ampliſſimi honoris gradu dignitas, Tuaq; innata probitas collocauit, vnde cuiuis opitulari & authoritate Tua poſſis ſuccurrere. Nec vlli mirum videri debet, ſi Te pietate ſingulari, prudentiâ, rerum experientiâ & dexteritate præditum, omnium ſermonibus & ore celebrari audiat; cùm id ſolerti Tuo ingenio partum Tibi illuxiſſe ipſa diuinitùs data fortuna fateatur. Ita enim teneram à cunabulis ætatem præceptis conformâſti, vt & maioribus Tuis doctrinâ quaſi lampade quadam præluxiſſe & ex literis fructum non pœnitendum Tibi comparâſſe, atque cæteris Muſarum Alumnis tam præſtantem gloriam bonarum Artium incredibili Tuo ardore & exemplo concitâſſe vadearis. Nemo*

proinde iturus est inficias, qui Te in omni genere doctrinæ versatum eum videt, apud quem literarum dogmata maximum studij habeant emolumentum, & illa ipsa quæ graue consilium, maturitatem eruditionis integram concernunt, tanta in te fore singula, quanta in Tuis virtutibus atque in istis rudioris Mineruæ laudibus esse debent; teste hoc in passu vel Apolline, quidquid de Te tanto vel Sacri Ordinis, vel Patriæ prouido pignore occino, cedro dignum nemo est, qui reticet. Testis est mihi illa Tua summa cum prudentia in consilijs dandis, coniuncta fandi vis, vbertas & Copia, cuius in Sacris ad Populum cohortationibus vehementiam mirificam, nullus est qui non collaudet. In ferendis verò quà priuatim, quà publicè de rebus salutaribus sententijs modum, non modò qui approbent sed etiã qui stupeant sunt vel plurimi. His potissimùm Tuis pertractus dotibus Illust. & Reu. DEI & Apost. Sedis Gratiâ Epis. Chelmensis *meritissimus*, S. Bened. Sacri Ordinis Tynecensis Abbas *dignissimus, cuius à latere & Gentium externarum speculator adfuisti, & selecta doctrinæ, pietatis & honorum messe horrea Tua impinguâsti, eam Tibi beneuolentiæ testificationem exhibuit, vt nihil omnino in animo tanti Tui Promotoris hæreat, quod in Te promouendo non sit expletum largissimè. Habes* Admodum Reuerende Domine, *cui Te Orbi Patrio probatum* Sacroq; Conuentui Tynecensi Priorem *adscitum iuremerito existimes, siquidem Te Columen Patriæ & summus populorum Pastor & Princeps probauit toties, atque etiam nunc probat, quoties assumptis ex illius Authoritate negotijs, Tuâ laudabili prudentiâ confectis, non modò pro communi Sacræ Religionis bono promouendo & augendo officia, verùm & vota dexterrimè adimplere soles, vt meritò hæc de Te dici queant.*

Ex Te igitur sese fingant, qui Relligiosa
claustra colunt sacris, qui ~~cupiuntq;~~ benè
Doctrina illustres & pietate viri,
Vnde Patris nomen promeruisse iuuat.

Et quid aliud Aceruus frumentarius Tuo in Stemmate denuntiat, nisi genium animi Tui in pietate situm esse? nisi Domum Patris spiritualis coronam doctrinæ & honoris? Fæneretur, hic Tuus Aceruus Domino; vt dum virtutes Tuæ in Sancto Religionis viridario propagatæ resplendent, vicissitudinem reddat Tibi Supremus rerum arbiter Votis ardentibus apprecor. Tu interim quantumuis minùs excultum Musarum hoc Epicitharismon suscipe quò soles animo, & benignè tueare.

Adm. Reu. Dominationis Vestræ
Humillimus Cliens

MARTINVS CHWIELCZEWSKI
Primæ Laureæ Candidatus.

Excell: & Doctiss: Dnis, DD. Examinatoribus.

D. IOANNI KOPCIEWICZ
Facultatis Artisticæ Decano, Coll. Min.

D. MARTINO SŁOMKOWICZ
Philosophiæ & Med. Doct. Coll. Maiori, Promotori dignissimo.

D. STANISLAO SLACHETKA
Ordinario Eloquentiæ Prof. Coll. Min.

VV. DD. Candidatorum nomine, debitæ gratitudinis obsequium, gratâ Charitum Lyrâ exsoluitur.

TErrarum, & Pelagi Præses, & ætheris;
Doctrix prima Dearum Sapientia
Formosum iubar, Aurora Palæmonis
Quæ pictis cohibet vaga
Frenis Climata Syderum.
Quæ quondam teneras grandiloquo Sopho
Ad Cunas Arabo præfuerat thymo
Platoni; facilis præuia Dux, suum
Quem fandi sequitur cohors
Dulci dogmate Principem.
Hæc par Diua nitentis Genialibus
KOPCIEWICZ Genij conscia sortibus
Affulsit, nomium quem decorum Ducem

Platonæ ſociat ſibi
Inter fulgura gloriæ,
Eſt æquùm ſocijs paſſibus inſequi
Et Platona, Patrem Palladis, & Ducem!
Eſt æquùm pariter fiat vt æmulus
Platonis meritò & bonos
KOPCIEWICZ referat dies.
SLOMKOWICZ nec eras, Diua ſubaudijt
Te gnarum Angelici dogmatis adfore
Iam ſecum reputans prompſit ab omine
Huic longæua diu fluent
Largis ſæcula riuulis.
Quà Ponto iuga ſecernit ab Alpibus
Præceps Eridanus qua dolat æduus
Inſubri Liguris lentiùs obuia
Raucis littora fluctibus
Fuſo & Doridis impetu.
Hâc tunc fama ſequax Nominis eſſedo.
Ibit; progenies Præſulis hæc Sacri
Aquinatis, erit digna ſub æthera
Alarum Tegeatici
Deferri auxilio Iouis.
Quæ diſcurſibus altis meditabitur
Terrarum Dominã Vrbem, & caput Vrbium
Poſt viſura Lares; non ſine fructibus
Ad Matris propriæ decus
Commune ad Patriæ bonum
Te

Te SLACHETKA Leonum hæc Dea nidulo
Naſcentem, vt reperit magnanimo loqui
Prædixit, gracilis pondere Copiæ,
Doctum & texere nexibus
Verſum Pythici Apollinis
Vt ſi ſaxa voles pollice Pindari,
Vel ſuaſu reſonans Tullius aureo,
Nec mirùm valeas flectere, viribus
Aptis ingenio tuo
Vitamque arboribus dare.
Etſi Naupliacos vexit ad æthera
Geſtorum meritis plena ratis viros,
Quæ vos ſemideos Theſſaliæ ſuper
Pindos Argo vehet, magis
Factis emeritos ſibi.
Secedat tumidi fabula Pegaſi,
Quæ fruſtra recitat quod per inania
Eſt actum fragilis tympana gloriæ,
Vos laude Acroceraunicâ
Dignos culmina tinnient.

O D E
TRICOLOS TETRASTROPHOS.
In Laudem Matris Academiæ.

NArrate Gentes Gentibus, inclytæ
Matris perenni carmine gloriam,
Vos Regio ſceptro & proborum
Luce nitens facinorum inornat.

Hæc

Hæc illa plenis Dacius eſt patens
Laudum phaſelis: ite ſonantia
Per tranſtra vos Craci Camænæ
Barbita deproperate Matri
Hæc chara Diuorum eſt Soboles, Decus
Dotale Regum, Caſtalidum tholus,
Sydusq́ue gemmatum Polonæ
Gentis, & armiferi Trionis
Ornamen amplum: quæ liquidi ſuper
Firmata forti cardine Viſtulæ
Critaſq́ue, Ledæaſq́ue abunde
Grauigenûm reparauit artes,
Quod Delio, Muſisq́ue loquacibus
Olim eſt dicatum Palladium iubar,
Vel quidquid aptis Atticus fons
Ingenijs tenuit colendum.
Hæc Mater inter mænia Cracidum
Poſſedit id iam diuite copiâ
Quæ nec ſecus, ſtellas vt inter
Luna parens radiat minores.
Tot non ariſtas igniuomâ face
Adurit vſtus Syrius algidas,
Neptunium non tot niuesq; in
Vellus aquæ Boreas reſoluit
Quot Laureatos hoc decorum penu
Intaminatis cinxit adoreis
Quot Laureandos eruditis
Vberibus refouet nepotes

Quæ litteratæ munificas opes
Altricis, actis postera ſæculis
Lucerna rerum, præmiorum
Dulce lucrũ; memorabit ætas?
Qui molle Permeſſi Emporium colis
Docti repertor pectinis Orpheu
Et ad canendum expergefactis
Sollicitas Helicona neruis.
Pridem vſitatæ nauita gloriæ
Inſcende pronis Peliacam ratim
Acceſſibus, metîre famæ
Vſque per aſtra, fretum refuſæ.
Matris coruſcum nomen in æthere
Appende, & inter lampadas igneas
Scientiarum hanc connitenti
Lampada fac radiare honore.

EPIPHONEMATA
Præmiorum.
I.
V. D. FRANCISCO CÆSARI, Crac.

CErtauêre ſimul pro vno tres vellere Diuæ
Ceſſerat aſt vni alea ſortis
Laurigeras tecum ſophiæ ſudamus arenas,
Sorte præis cunctos duce Lauro,
Sic age ſemper adi faſtigia primus honorum,
Felici Duce Te ibimus & nos.

II.

V. D. IOANNI BIENIECKI, Crac.

Fertur ſub niueis Pauo auis abſcondita linteis,
Albã non niſi, adultis ſobolẽ educere partubꝰ
Lauro cinge caput, candidulis moribꝰ integrũ
Nec non ingenij te faciet dotibus aureum,
His nam progeniẽ Pallas amans clarat adoreis.

III.

V. D. ALBERTO LVPINSKI,

Quidquid tibi vel virium vel roboris
Heliconis ope per dogma ceſſerunt Deæ
Lucraris; & dignus vidêris Daphnide,
Redimitus hâc vrge altiorem gloriam!

IV.

V. D. BLASIO SZVBCZYNSKI.

Quantus Erichtæi per amæna vireta Nemauſi,
Lubricus irriguis ſibilat error aquis
Quanta Licophronis per aprica roſeta canori
Garrit Hyantæis accola Nympha vadis
Tantus Academi decorat Te dulcor Alumne.
Qui fluit Aonio mirus ab ore tuo.
Forte loqui tecum ſi poſcat prælia Cyrra
Credas, illa loqui diſcet ab ore tuo.

VI.

V. D. VALENTINO MAZVRKOWICZ.

Sedulitas animo forti eſt coniuncta, trophæis
Sedulus & conſtans tu Phäetonta præis.

VII.

V. D. LAVRENTIO RVSRIEWICZ.

Dum te instanter honos Lydo circumuagus auro
Amplùs inauratis concomitatur equis.
Tu fugis & meritò, haud dignũ te prodis honore
Gratia quem vultu nempe modesta fugit.
Tu fugis hic sequitur solẽ vt sua passibus vmbra
Te fugitiue instat Laurus honore sequi.

VIII.

V. D. VINCENTIO CROMER.

Cynthius Archetypũ radians delapsus in orbem
Fertur se cunas irradiâsse tuas.
Ergo quod astra tenent stellas scrutabere, quondã
Metam hanc vis genij vendicat ipsa sibi.

IX.

V. D. VINCENTIO IAMBROSZKOWICZ.

Mentis opes meruêre tuæ ex certamine docto
Laurum dat Mater, promeruisse sat est

X.

V. D. ALBERTO ZIATKIEWICZ.

Menti tuæ insedit pietas hæc maxima
Virtus? coronata(cape Corymbũ) tunc magis
Mercedis in terrâ, in poloque merebitur.

XI.

V. D. GREGORIO ROSZKOWICZ.

Martis & artis honor tum laus de laude volentí
Vincere victori subdere serta parant.

Mars cupit vt vincas, struit ars cum laude triūphū
Vincere posse tuo velle labore tuum est.

XII.

V. D. HYACINTHO MECIKOWICZ.

Iamque sophos sequeris iam iura nouella Lycurgi,
Merx aderit; curam, si modo cura premat.

XIII.

V. D. MATTHIÆ KASZTVLINSKI.

Obrizum spisso terrarum viscere clausum
Indignum pretio cernitur esse suo.
Artificū manibus protersū & ab igne probatū
Cuncta sub orbe potest appretiare sibi.
Sic tua dexteritas penetralibus abdita mentis
Nil poterat pretij promeruisse sibi
Donec Apollineo vexamine trita retersit,
Et Lauri ingenitas arte poliuit opes
Vertitur in pretium tandem dum luxeris orbi,
Ipsa sibi pretium dulce leuamen erit.

XIV.

V. D. ALBERTO STANECKI.

Quo certamen adis pede
Plùs mille ambiguis Syrtibus obuium?
Intentum reuoca gradum
Et frenos cupidæ pone licentiæ.
Cur me ast carpis inaniter
Indiscrete timor? dulce periculum est,
Sacram nonne sequi Deam,
Ornantem viridi tempora adoreâ?

Qua

Quâ fortuna nequit viros
Dotatos dubijs tangere fluctibus
Illæsos sed ab impetu
Pacatis remeare vrget Etesijs.

V. D. MARTINO CHWIELCZEWSKI.
Vati & Concandidato gratitudinis ergo.
V. D. BLASIVS STANISLAVS SZVBCZYNSKI vouet & dedicat.

SI mea Pegasides quando accendêre Camænæ
Pectora, Threijciam si docuêre Lyram
Finxit & Euterpe nostros testudine versus
Meonijsque tulit carmina nostra sonis.
Nunc mea Sicelidum numeris optaret arundo
Altisonos vestris adnumerare pedes
Riuulus irriguo est quid aquæ concedere Nilo
Possit, viuus ego? tu fluus esto magis.
Fidibus Orpheis Tymbræus Apollo sonoras
Te docuit Musam cum cecinisset odas.
Vt videt exsultat gaudens Calissia, vatem
Te nostræ Lauro, non genuisse suæ
Te Aonium nostris vatem redijsse putamus
Æuis Smyrnæum te superesse virum.
Nam seû candorem & castæ penetralia mentis
Seû spectem linguæ flumina primus eras
Et potes ingenij Lydas ostendere gazas
Mentis & eximios artis habere sales.

Ergo Tuis aliquid referam virtutibus? at quæ
Nunc dabo doctrinæ præmia digna Tuæ?
Non satis esse puto cunctis quæ dona dedisti
Vt capias eadem, plùs Tua Musa sapit
Attamen ecce Tuo cupio iungantur honori
Et cingant roseum laurea serta caput.

V. D. BLASIO SZVBCZYNSKI. A MARTINO CHWIELCZEWSKI. Grati affectûs memnosinon.

QVi nuper gracili veris anhelitu
Afflatus, violis riserat hortulus,
Vel comptus remicarât
Vernis campus honoribus.
Iam tandem refugis languet odoribus
Cûi sæuus Pelagi Rector Etesia
Connutante vigorum
Exhalans ademit decus.
Te Laurus decorat parta laboribus
Nullis hæc niuibus diffluit, aut rogis
Marcescit, nec acutos
Ventorum timet impetus.
Ergò hâc cinge comas, & solidas puta
Laudes inde sequi, laudibus inuidet
Si fortuna, liquescit
In pœnam inuidiâ sua.

IN STEMMA
Almæ Academiæ Cracov.



Stemmata virtutum naſcuntur honoribus, ergo
Nobiliora dabit Stemmata maior honor.
Tuta Iagellonis tu gaude Mater honore
Maximus ille fuit qui duo ſceptra dedit.
Maximus inde Tibi quæ gaudes Stemmate Regũ
Binis ex ſceptris fulget honoris honos.

Sub felicibus auſpicijs,

Magnifici & Clariſſimi Dñi.

D. GABRIELIS OCHOCKI

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris,

CONSVLIS CRAC:

In Alma Academia Cracou: vigilantiſſimi

RECTORIS.